quos vobis, fratres, de hac re etiam multum est loqui vobis, placeat itaque ceteris uti quod restat illo adiuvante servemus crastino reddituri.

explicit tract XXXVII incipit XXXVIII

AB EO QUOD DICTUM EST MULTA HABEO DE VOBIS LOQUI ET IUDICARE SED QUI ME MISIT VERAX EST USQUE AD ID QUOD DICTUM EST ET NON COGNOVERUNT QUIA PATREM EIS DICEBAT DEUM

VERBA DOMINI NOSTRI IHESU CHRISTI QUAE HABUIT CUM IUDAEIS ITA MODERANS LOQUELAM suam ut et caeci non viderent, et fideles oculos aperirent, quae hodie de sancto evangelio recitata sunt, ista sunt. Dicebant ergo Iudaei: Tu quis es? quia dixerat supra dominus: Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris. Ad hoc ergo illi: Tu quis es? velut quaerentes nosse in quem deberent credere ne in peccato morerentur. Respondit dicentibus: Tu quis es? Et ait: Principium, quia et loquor vobis. Si se dixit dominus esse principium, quaeritur utrum et pater principium sit. Si enim filius principium est, qui habet patrem, quanto facilius intellegendus est esse principium qui habet quidem filium cuius pater sit, sed non habet de quo sit? Filius enim patris est filius, et pater utique filii pater est. Sed filius dictus est deus de deo, lumen de lumine; pater dictus est lumen, sed non de lumine; pater dictus est deus, sed non de deo. Si ergo deus de deo, lumen de lumine principium est, quanto facilius intellegitur principium lumen de quo lumen et deus de quo deus? Videtur ergo absurdum, carissimi, ut filium dicamus principium, et patrem principium non dicamus. Sed quid agimus? numquid duo erunt principia? Cavendum est hoc dicere. Quid ergo? si et pater

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_207/0114